m Nos Michael Iudex et Dobeslaus Subiudex terre Cracouien(sis) generales Notum facimus quibus expedit universis presen-
tibus et futuris presencium noticiam habituris, Quod cum pro tribunali sedebamus, accedentes ad nostram iudiciique assessorum
presenciam nobiles viri Iohannes Senior Iohannes fratres Katherina et Hanna sorores germani heredes de (?) sa-
ni mente pariter et corpore existentes non compulsi nec coacti neque aliquibus dolo vel fraude circumventi, Sed bona
animorum suorum deliberacione prehabita fretique maturo ipsorum consilio amicorum, quamdam eorum villam dic-
tam Macieiowice (?) in terra Cracouien(si) prope Welicziam situatam, ipsos ex succione (?) propria et quodlibet concernen-
tem, cum ipsius ville omnibus iure dominio utilitatibus fructibus redditibus proventibus incolis censibus domibus
tabernis molendinis areis edificiis ortis agris campis pratis pascuis lacubus piscinis aquis fluminibus stagnis
paludibus silvis borris mellificiis rubetis quercetis mericis (?) pinetis et universis pertinenciis et quibus-
libet emolumentis que ibidem sunt et in posterum fieri possunt, nichil pro se et successoribus eorum iuris dominii
seu utilitatis ibidem reservando pro Quingentis marcis grossorum pragensium numeri polonicalis consueti, Sere-
nissimo principi domino nostro Wladislao Regi polonie etc. ad civitatem Welicien(sem) et eidem civitati rite
et racionabiliter in totum vendiderunt et titulo vendicionis totam nobis in perpetuum iudicialiter resignarunt,
promittentes ipsum dominum Regem et cives dicte civitatis occasione dicte ville ab omni impedimento atque
dampno ubilibet relevare, Per eundem dominum Regem et cives Welicien(ses) et successores ipsorum prefa-
tam villam cum suis pertinenciis iure hereditario et perpetualiter tenendum habendum utifruendum possidendum
commutandum vendendum et in usus ipsorum beneplacitos convertendum, Helena vero mater eorum venden-
cium in huiusmodi vendicionem ville consentiens omni iuri dotis et dotalicii suo si quod in dicta villa
habuit in perpetuum renunciavit, In cuius rei testimonium presentes mandavimus scribi et nostrorum
appensione sigillorum fecimus communiri, Actum et datum Cracouie feria tercia prima post diem
sancte Trinitatis Anno domini Millesimo CCCo nonagesimo octavo presentibus nobilibus viris dominis
Clemente de Mostorzow (?) vicecancellario Regni polonie Clemente castellano Zarnowien(si) Cle-
mente de Lappanow Prandota de Nepreczna (?) Prandota de Przelanki et Borzone de Czirencz (?)
heredibus pluribusque aliis testibus fidedignis.

1 4

1344

Emptio Marinkovina per
[illegible] Anno
[illegible]
1298

Marinkovina emptio

A E 500
No [illegible] bito [illegible]
N 69

~~No~~
No 17.